

præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Nos igitur præsentium vobis auctoritate concedimus ut eodem authentico utamini libere ac licenter.

Datum Laterani, xvii Kal. Junii, pontificatus nostri anno decimo.

CCXXVIII.

ABBATI CLUNIACENSI.

De correctione monachorum.

(Laterani, xvii Kal. Junii.)

Authenticum bonæ memoriæ Alexandri papæ prædecessoris nostri in hunc modum nobis accepimus præsentatum. *Relatum est auribus nostris quod quidam monachorum tuorum querentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, prioratus et obedientias sibi creditas detinere interdum te renuente contendunt, et*

A *monasticæ professionis obliti, causa vitandæ correctionis contra constitutionem nostram in vocem appellationis erumpunt. Unde quoniam non ad hoc fuit appellationis remedium institutum ut per eam regula monastica dissolvatur, præsentibus tibi litteris indulgemus monachos tuos, sublato appellationis obstaculo, secundum Regulam beati Benedicti et institutiones monasterii tui corrigere ac prioratibus et aliis obedienciis, cum causa exegerit, appellatione postposita removere.* Nos igitur tuis precibus inclinati, devotioni tuæ præsentium auctoritate concedimus quatenus eodem authentico libere ac licenter utaris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, xvii Kal. Junii, pontificatus nostri anno decimo.

INNOCENTII III

ROMANI PONTIFICIS

REGESTORUM SIVE EPISTOLARUM

LIBER UNDECIMUS.

PONTIFICATUS ANNO XI, CHRISTI 1208.

I.

NOBILI VIRO LIUBULDO DUCI AUSTRIÆ

De succursu terræ sanctæ.

(Laterani, vi Kal. Martii.)

Experimento didicimus quod verborum non fueris obliuiscus auditor quæ volentibus ire post Dominum in Evangelio proponuntur, cum religiosa mente recogitans quid retribuas Domino pro omnibus quæ retribuit ipse tibi, Christum, qui est usque ad mortem, mortem autem crucis, obediens pro te factus, humiliter imitari disponis, et pro ejus amore charam conjugem, dulcem prolem, delectabilem patriam, amabilem parentelam, divitias copiosas, ac mundanos relicturus honores, ut demum te ipsum cum carnalibus desideriis abnegando, liberius sequaris eundem, desideras, ut accepimus, tollere crucem tuam, et illuc ubi tua salus in cruce pendit ardenti succingeris desideria festinare, ut in crucis victoriosæ vexillo te contra perfidorum conatus opponas, qui de crucis hæreditate in parte

C *jam expulisse videntur et in toto nituntur expellere crucifixum. Vere pium est hoc propositum et tibi cœlitus inspiratum. Intendis enim suscipiendæ crucem reddere vicem Christo, qui tuos languores in ipsa pertulit, doloresque portavit. Verum licet sit devotio satis magna, multum est tamen vicissitudo dissimilis, quia præter gratiæ differentiam quæ videtur consistere in alterutro, si quod Dominus Redemptor pro servo redempto pertulit, demum servus redemptus perferat pro Domino Redemptore, inter crucis Christi patibulum et crucis tuæ signaculum valde refert; cum etsi crucis una sit gloria, dispar tamen sit in te ac Domino ejus pœna. Tu enim crucem mollem suscipies et suavem, ille asperam subivit et duram: tu eam in vestis deferens superficie, ille in carnis pertulit veritate; tu ipsam assues tibi lineis aut sericis, ille in ea confixus est ferreis clavis et duris. Licet igitur, quantumcunque magnis et duris ob spem æternæ retributionis exponere te disponas, ad futuram gloriam quæ*